



HERODES, non Zenobia matre, sed priore Odenati uxore genitus, cum patre accepit Imperium, homo omnium delicatissimus, ac prorsus Orientalis, & græcæ luxuriæ, cui erant sigillata tentoria, & aurati papiliones, & omnia Persica. Denique ingenio eius vsus Odenatus, regias Saporis concubinas, & quascunque gemmas ac diuitias cepit, huic filio suo Herodi tradidit paterna motus indulgentia. Oderat illum Zenobia nouercali animo, quare commendabiliorem eum patri fecerat. Consulito Trebellium Pollionem.

MAEONIVS Odenati consobrinus inuidia extimulatus Imperatorem optimum, eundemque consobrinum suum interemit, cum ei nihil aliud obiiceretur, præter filij Herodis delicias. Dicitur autem primùm cum Zenobia conspirasse, quæ ferre non poterat ut priuignus suus Herodes princeps diceretur atque autoritate præiret eius filios, Herennianum & Timolaum. Hic spurcissimus fuit, quare Imperator appellatus per errorem, breui à militibus pro suæ luxuriæ meritis interemptus est. Videto vt supra.